EPISTOLA

BARTHOLOMAEI PAJELLI

EQUITIS VICETINI

EX BIBLIOTH. BERTOLIANAE COD.

DEPROMPTA.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. D.

JOANNI ANTONIO FARINA

EPISCOPO TARVISINO

XV. KALENDAS APRILIS

ECCLESIAM SUAM INGREDIENTI.

VICETIAE
TYPIS PARONI - TRAMONTINI
MDCCCLI.

AMPLISSIME PRAESUL,

Hoc, qui Tibi exsurgit vere festus dies, sit fas mihi alius uti verbis ad meam cum omnium conjungendam laetitiam: Bartholomaei namque Pajelli vicetini, scriptoris perelegantis, epistolam Tibi nuncupo Tulliano refertam nitore; quippe quae vivam exprimat imaginem Tui simillimam, nec non mea, quae de Te auguror, omina complectatur.

Accipe, oro atque obsecro, humanitate qua praestas, pignus obsequii mei atque amoris numquam erga Te defuturi; dumque anima spirabis Tua, omnium vive exemplum virtutum.

MARCUS PELLIERO

SACERD.

BARTHOLOMAEUS PAJELLUS EQUES

LUDOVICO ZUFFATO

PHILOSOPHIAE ATQUE ARTIS MEDICAE PROFESSORI

S. D.

Audio, Episcopum nostrum, et amplissimi senatus Venetorum decreto, et summi atque optimi consensu Pontificis ad sublimius fastigium Patavini Episcopatus evectum esse. Gaudendum utique nobis, mi Zuffate, dolendumque. Dicet aliquis fortasse, qui fieri potest, ut una atque eadem res cuique mortalium et laetitiae pariter sit et moerori? Gaudendum nobis ipsius causa, dolendum nostra. Quia et ille augustiorem consequutus fortunam, ut dignissimus est, et nos tanto privamur Pontifice. Nam, dii boni, quanta illi vitae integritas, quânta theologicae scientiae contemplatio: quave in rebus omnibus utitur moderatione, quam praeterea venerabilis aspectus, heroica totius corporis majestas: quam benignus, quam affabilis, quam comis, salva semper pontificiae dignitatis reverentia. Patent aditus uni-

cuique, ingenuis praesertim ac doctis viris, ea demum summà voluptas est, cum de literis aliquid disseritur, de sacris praecipue literis: neque obstat visum divi Hieronymi vapulantis ad tribunal, quin et oratores aliquando et poetae in manibus sint. Quin imo, ut Plinius nepos de se ipso in epistolis profitetur, poeticen religiosissime, ut ita dixerim, veneratur, non minus et rethoricen; quam philosophiae partem Peripatetici testantur. Astat quoque inter coenandum qui semper aliquid legat. Idque omnium summo cum silentio, ac sine alicujus interpellatione. Verentur graves ejus admonitiones, ut de Plinio seniore memoriae traditum est, qui cum quidam lectorem, quia perperam pronunciasset, redargueret, decem amplius versus hac tua, inquit, interpellatione perdidimus. Mira namque et huic Viro parsimonia temporis est, mira insuper continentia, frugalitasque. Utitur enim, ut nosti, mensa simplici et convictu facili; argentea supellectili ad usum, non ad ostentationem. Multae vero quotidie impensae in aedificandis pontificiis sedibus, reparandisve; in alendis multum fovendisque pauperibus erogatur. Hos mores atque hanc pietatem praesefert. Sic redditus uberrimos Episcopatus moderata munificentia, sapienterque et sancte dispensat atque distribuit. Atque idcirco ejus item domestici prudentes, moribus inte-

gris, optimis artibus eruditi, quales ipse admonendo, corrigendo atque uti filios amplectendo formavit sibi, atque instituit. Nam quemadmodum urbes ac populi ad exemplum Regum suorum componuntur, sic et cujusque domestici, et vitam et mores domini sui respiciunt, ac sedulo imitantur. Possumusne igitur in discessu tanti Antistitis non perturbari, non affligi, et si de accessione amplioris fortunae et nobis illi plurimum gratulandum sit, ob singularem maxime ejus in nos benevolentiam, imo potius caritatem, pietatemque? Qui maximum nobis atque immortale monumentum et inviolabile pignus reliquit, partem haud exiguam Dominicae Crucis, sacellumque sua impensa pario marmore construendum, ac porphiriticis, sive ex ipsa Synade collucentibus polituris, incrustandum. Nec vobis diu invidebimus talem hunc Virum, Patavini Cives. Neque enim Petrus Dandulus diu remorabitur apud vos. Erit, erit paulo post in Cardinalium numerum ascitus. Hoc eximiae ac praeclarae ejus virtutes jure quodam exposcere videntur. Hoc agit jam nunc ipse Senatus Venetus; hoc ipse Julius Pontifex Maximus agit. Constituendus hic Vir in excelso quodam apice rerum, unde et doctrina et sapientia et integritate vitae atque omni genere virtutum cunctis mortalibus elucescat. Te vero fortunatissimum duco, mi Zuffate, quem ille

semper, ac maxime hoc tempore tanti fecerit, ut cum Patavium urbem regiam proficiscatur, ubi tot clarissimorum virorum in omni genere doctrinae conventus floreat, te tamen unum haud aspernanda mercede sibi asciverit, in cujus manibus, ac praestanti artis medicae scientia, certissimisque rerum experimentis summa salutis suae atque ipsa vita reposita sit. Bene vale, ac tanto Viro, quidquid sum, certe illi deditus sum, me plurimum commendato. Kal. Januariis. Millesimo quingentesimo octavo.